FRIDERICI HOFFMANNI, D.

MEDICI ELECT. BRANDENB.
PROFESS. MEDICINÆ RERUMQVE NATURALIUM
PUBLICI ET ORDINARII

PROPEMPTICON
INAVGVRALE
De

MECHANICA FEBRIUM DOCTRINA HIPPOCRA-TICA.

58700 (1)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTS

J. J.

MAgna diſſenſio & controverſia in ſcholis medicis eſt circa febrium cauſas, originem atque producendi modum. Multa hic occurrunt opinionum divortia, variæque explicationes tàm ab antiquioribus quàm à recentiſſimis, ut certi quid inde ſtatuere vel definire nequaquam liceat. Non autem ulla melior, antiquior, rationi & veris naturæ principiis magis conſentanea & accommodata videtur ſententia, quam Divi Hippocratis, antiquiſſimi medicinæ ſcriptoris, quæ extat in *lib. de flat. ſect. 3. §. 10. & ſeqv.* Ibi nimirum aſſerit *ſpiritus ſeu partes corporis noſtri impetum facientes*, (à quibus omnium morborum ortum deducere aſſolet) *obſtructo inferiori ventre ad ſanguinem refertas corporis partes illapſos, eas refrigerare, quibus refrigeratis totum corpus horror occupat, & quo majori copia flatus* (quos ſic ſpiritus concitato motu ad partes ruentes appellat) *irruperint, eò major rigor, horror & tremor partium conſequitur. Sanguis porrò*, paucis interjectis, inquit, *præſentem horrorem metuens per totum corpus perreptat, & ad maximè calidas partes concurrit, atque hi ſunt ejus ſaltus. Deſiliente autem ab extremis corporis partibus ſangvine, & viſcera & carnes contremiſcunt. Aliæ enim corporis partes copioſo ſanguine refertæ, aliæ exſangues tunc exiſtunt. Atque exſangues quidem ob frigus*

gus minimè conquieſcunt, ſed concutiuntur, quæ verò ſanguine replentur, ob ſanguinis copiam contremiſcunt, & inflammationes excitant: Coacto enim cumulatim plurimo ſanguine aër ipſe, qui ſanguinem refrigeravit, à calore ſuperatus rurſus incaleſcit incenſusq; ac velut igneus exiſtens in toto corpore calorem excitat, ad id etiam ſubſerviente ipſo ſanguine. Quod enim incenſum eſt, liquatur, ex eoq; ſpiritus oritur, quo ad corporis meatus irrumpente ſudores fiunt. Paucis hisce tota doctrina intermittentium abſolvitur, & accuratiſſimè, quam unquam factum eſt, traditur. Non enim illuſtrius ac certius in medicis fundamentum exiſtit, quam humorum vitalium craſis, illorumque ad naturæ leges inſtitutus motus circularis, ex hoc ceu fonte innumeræ veritates in phyſiologia & pathologia duci ac derivari poſſunt. In omni fermè morborum genere, maximè in febribus principaliter circulatio humorum inordinata inæqualis ſeu ab æquilibrio ſuo deflectens incuſanda venit, id quod jam in præcedentibus ſufficientiſſimè notavit *Divus Senex*, dum ab inæquali ſanguinis motu primò à partibus extremis ad interiora, deinde rurſus ab interioribus ad ipſum habitum corporis febrium phænomena elegantiſſimè deduxit. Enimverò certiſſimum eſt, in intermittentibus paroxyſmo ineunte ſpaſmo (qui non niſi impetuoſus ſpirituum motus ad partes fibroſas & muſculoſas auctas conſtrictivus eſt) affici ſummas corporis partes fibroſas muſculoſas ad excutiendum illud, quod moleſtum eſt, & copia ſua vel conſtrictione liberiorem perſpirationem moratur ac impedit. Hujus ſpaſmi effecta ſunt pandiculationes, oſcitationes, dolores tenſivi oſtocopi dorſi, artuum, concuſſiones, immenſi rigores corporis, corrugationes cutis pororum, & ſuppresſiones excrementorum, maximè ſudoris: Conſtricto enim externo corporis cortice itus ac reditus ſanguinis liber per illum impeditur, venæ ibi ſenſum fugiunt, minores fiunt, & partes quaſi exſangues ſunt, indeque frigent, quæ tamen propter impetum ſpirituum animalium non quieſcunt, ſed concutiuntur: repreſſo autem & deſiliente ab extremis partibus ſanguine

ad

ad viſcera & carnes ſive à circumferentia ad centrum motus, colligitur & cumulatur in vaſis majoribus, & accedente ſimul copioſo aëris, mediante reſpiratione; elaterio, calorem excitat, anxietatem oppletivam circa præcordia parit, maximoque impetu cordis muſculum ac vaſa diſtendens pulſum citatiorem ac celeriorem efficit. Cruor ſic concitatius motus accedens ad anguſtatas tempore frigoris externas partes ibi celerius propter anguſtiam ex parte circulatur, unde à motu illo aucto, intenſiſſimus ille ardor provenit, donec frequentato hoc impulſu ſanguinis obſtructa removeantur, & viæ conſtrictæ aperiantur, ſicque ſanguini liber ac æqualis ſuus circulus reſtituatur, id quod optimè cognoſcitur per ſudorem ſeu liberiorem tranſpirationem, quæ utplurimum finito paroxyſmo contingere ſolet. Tunc temporis enim pulſus fit ſtatim iterum naturalis, reſpiratio liberior, calor corporis temperatus, appetitus reſtituitur, vires eriguntur & omnia ſecundum naturam ſe habent, usque dum novus febrilis fomes ex inferiori ventre obſtructo de novo ſanguinem collutulat & poris cutis inhærendo ſpaſmum & ſubſequentem calorem, ſicque febris paroxyſmum concitat. Quocirca rectiſſimè fermè omnes veteres febrium cauſam perſpirationes corporis impeditas exiſtimarunt, vid. *Mercurial. in Commentar. lib. Hippocr. de arte pag. 17. Ipſe Hippocrates ſect. IV. lib. 1. de locis in homine p. 88.* eleganter id exprimit, dum ſcribit: *At vero febres hanc ob cauſam oriuntur, cum corpore tumidiore reddito carnes intumuerint, pituita bilisque concluſa conquieverit, nihilque refrigeretur, neque exeat, neque moveatur, neque aliud quid ſubeat.* Per hæc verba nihil aliud intelligit, quam tranſpirationem corporis in febribus prorſus eſſe impeditam. Reſpicit enim eò in ipſa cura dum inquit: *cum laſſitudo febris & plenitudo detinuerit, multâ aquâ lavandum & liquido illinendum & quam maximè calefaciendum, quo calor aperto per ſudorem corpore exeat, undique enim apertum corpus & reſpirans ac motum, quod facit, conducit. Galenus lib. IX. methodo medendi* meatuum obſtructiones febrium cauſas credit, quare omnia frigida: quoniam craſ-

ſos humores efficiunt, in cura damnat, laudat autem illa quæ obſtructos meatus reſerant abſque multo tamen calore. *Fer-nelius Lib.I V. cap.9. ſcribit : veterem eſſe opinionem, humorem qui continens & proxima eſt intermittentis febris materia, in ſolo corporis habitu & extra venas computreſcere: Hunc acceſsionis initio è venis majoribus in quibus conditus erat, ſanguini permiſtus in minores, ex hisque in corporis habitum propelli. Hoc impetu ſummas corporis partes, quarum exquiſitior eſt ſenſus, ferientis humoris occurſu vel inhorreſcere vel nigere; Eum mox ſenſim illic incaleſcere, inflammari & mox caloris vi diſſipari in ſudores, ſicque acceſſionem finiri, dum nova ſimiliter recurrat.* Fluit exinde jam optimam febribus medendi veterum fuiſſe methodum, dum primum perpurgata alvina regione omnibus modis tàm internis quam externis perſpirationem corporis procurarunt & vitioſam materiam per ſudorem eliminare anniſi fuerunt. Fatentur & illud ipſum recentiores practicorum dum putant, nullam ſebrem tuto & abſque recidivæ metu judicari poſſe, quæ ſine ſudoris evacuatione deferbuerit. Sæpius etiam ipſa materia irregularis peccans ſpiraculis cutis inhærens, quando ad evaporandum inepta eſt, erodit cutim & ulcuſcula parit, hinc *Johannes Langius Epiſto. XVI. Libr. I. pag. 70.* inquit: Vidi plus centies ſcabiem & per aliarum febrium tum præcipuè quartanæ criſin obortam ſpontè exoleſcere citra omne medicamentorum ſubſidium. Exinde jam facilè conſtat ratio *aphoriſmi Hippocratici 25. lib. II.* quartanas æſtivas facilioris curationis eſſe autumnalibus. Autumno enim & hyeme cutis tenſa & aſpera eſt, meatus occluſi, & fluida propter ætheris actuoſitatem minorem non ſufficienter agitantur ac inteſtinè moventur: Econtra tempore vernali & æſtivo, ubi & rebelles quartanæ ſolo aëre ſanationem vel ſpontè recipiunt, corpora ſunt permeabilia, fluida; æther, qui aërem movet & hic ſpirituum præbet pabulum longè mobilior & ſubtilior exiſtit. Præmittere hæc voluimns in gratiam Nobiliſſimi atque Clariſſimi Candidati DN. SEBASTIANI ALISCHERI, qui de Febre Quartana ejusque tuta ac feli-

lici-

lici curatione ſecundum hæc noſtra principia Diſputatio-nem ſuam Inauguralem adornavit, cujus natales, ingenium & laudabilem ſtudiorum curſum ut pro more hic recenſeamus, opus eſt. Natus nimirum eſt ante hos XXIV. annos, in urbe Sileſiorum egregia Lignitz. Patrem ſortitus eſt *Virum Clariſſimum*, HENRICUM ALISCHERUM, *Lignicenſem, Eccleſiæ ibidem Diaconum vigilantiſſimum.* Mater fuit Fœmina, ſequioris ſexus virtutibus conſpicua ANNA HEDEWIG, è familia Kergerorum inclyta oriunda. Avus paternus fuit *Vir plurimum Reverendus* SEBASTIANUS ALISCHERUS, *Boleslavienſis, Paſtor, & Ducatus Lignicenſis Superintendens.* Avus maternus *Experientiſſimus atq; Ampliſſimus Vir* MARTINUS KERGERUS, *Medicinæ Doctor, & famâ & ſcriptis celeberrimus, patriæ Phyſicus fideliſſimus.* Charisſimi hi parentes Dominum CANDIDATUM, cum primis ab annis indoles bona maturè ſe proderet, in tempore tradiderunt in diſciplinam, ut literarum cultu inſtrueretur. Primas autem literas ac artes hauſit in ſchola Lignicenſi, inde egreſſus partim ex publicis prælectionibus, quas ſtrenuè obiit, partim ex privatis magiſtris magna profectuum ſuorum incrementa expertus eſt. Inter alios autem ſtudiorum ſuorum dexterrimos ductores magnifacit *Clarisſimi* EPHRAIM HEERMANNI, *ejusdem Scholæ Rectoris*, nec non *Clarisſimi* GEORGII MAIWALDI, piæ memoriæ, & poſt hos *Præclariſſimi* Magiſtri HEERDWIGII, *Prorectoris* informationem fideliſſimam. Jactis ſic ſolidis fundamentis liberalium artium, ſuaſu agnatorum ſuorum ſvaviſſimorum Vratislaviam ſe contulit, ubi per annum & ultra ſummâ attentione animiq; ardore audivit *Præclariſſimum Rectorem Gymnaſii ibidem Magdalanæi*, CHRISTIANUM GRYPHIUM in Hiſtoricis, SIMONEM TITIUM in Oratoria, & KüPPFENDERUM in ſacris, *Profeſſores famigeratisſimos.* Præterea & ſtudio privato uſus eſt *Prælaudati* GRYPHII in collegio Hiſtorico, TITII in collegio Geometrico & Aſtronomico, ſub horum ductu Philoſophiæ rudimenta non leviter ſaltim delibavit, ſed penitus attigit. Abſoluto ſic ſtudiorum ſuorum in Gymnaſii curſum conſenſu, ac ſvaſu agnatorum ſuorũ chariſſimo-

rum

rum ad celebratiſſimum illud bonarum artium Emporium, quod Lipſiæ floret, adiit, & ſub MAGNIFICO RECTORE, *Summè Reverendo & Excellentisſimo* JOH. BENED. CARPZOVIO, *Doctore & Prof. Theol. per Germaniam celebratiſſimo* albo Academico ſe inſcripſit. Primum autem ſacris Philoſophiæ integrum per annum operam dedit, benè gnarus Philoſophiam eſſe genuinam matrem omnis elegantioris literaturæ & ſolidi in altioribus ſtudii. Præceptores autem nactus eſt in hoc ſtudiorum genere *Amplisſimos ac Clariſſimos Philoſophos*, GOTTLIEBUM HARTH & L. CYPRIANUM. Poſtea animum applicuit ad ſtudium Medicum. Elegit autem ſibi in hoc ductorem ac Præceptorem dexterrimum, *Nobiliſſ. ac Excellentiſſ.* JOH. FRIDER. ORTLOBIUM, *Lipſ. Profeſſorem Clarisſimum*, cui ſe totum mancipavit, & univerſum curſum medicum magno ardore & indefeſſo ſtudio per aliquot annos audivit. Cujus inſtituti tantum abeſt, ut ipſum pœniteat, ut potius ſibi de tam fideli ductore gratuletur, cnm jam animadvertat, qvantum emolumenti ex ejus doctrina optimis principiis innixa hauſerit. Non autem omiſit viſitare lectiones public. *Excellentisſimorum aliorum* Profeſſor. Lipſ. DD. FRISII, BOHNII, RIVINI, PETERMANNI, LANGII. Ante aliquot menſes acceſſit ad nos inſtructus omnigeno eruditionis ac peritiæ medicæ apparatu & primò Collegio noſtro in Ludovici Pharmaciam diligenter interfuit, mox modeſtè deſiderium ſuum ad altiora nobis expoſuit. Admiſſus itaque ad conſueta examina, ita ſe toti Collegio probavit, ut propter inſigniſſimos ac ſolidos profectus in numerum Candidatorum unanimi ſuffragio receptus fuerit. Et quoniam meo ſub præſidio habiturus eſt die XIV. Februarii horis conſuetis ante & poſt meridiem Diſputationem ſuam Inauguralem, ea propter ad actum hunc ſolennem MAGNIFICUM DN. PRORECTOREM, COETEROSQVE PROFESSORES Excellentiſimos, & HOSPITES omnium Ordinum honoratiſſimos, ut honorificâ ac benevolâ ſuâ præſentiâ illum condecorare dignentur, eo, quo decet, officio ac obſervantiâ rogo atq; exoro. P.P. ſub Sigillo Facultatis. Halæ die XII. Februarii, An. M DC XCVI.